



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Crux quæ, quomodouè sit cuique quotidie portanda: vsus creaturarum quî
sumendus: sensualitatiq[ue] quî moriendum. Can. VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Passio Christi
sicut sit the-
saurus.

Purgatorias
penas quo-
modo hic
soluamus.

re, indeque haurire quo debita soluantur omnia? Thesaurus hic mors & passio mea est, quam iugi recordatione tuam potes facere, atque plena fide in satisfactione omnium debitorum tuorum pro te mihi offerre, idque haud quamquam inanimiter, si tamen in te à peccatis perfecta fuerit auersio, & nihilo secius in deficientis studium vitæ correctioris. Posses namque adeo vehementer de offensione mei dolere, adeoque humiliter de te sentire cognoscendo aliud remedij tibi nihil superesse, quam in passione mea. Posses etiam adeo feruenter pro reconciliatione, gratia atque amicitia mea instare, adeoque ab omni te peccato auertere, cupiendo meam iniuriam omnem in te vlscisci, & ab omni deinceps offensione abstinere, vt vno hic momento, vna gemitu deleas, pro quo mille annis in purgatorio fuisses crucianda.

*Moriturus vt ex passione Christi sua debita soluere sese que ad mortem
preparare, vulnera item Christi animæ suæ vehementer
imprimere, secureque mori vti debeat quisque.*

CANON V.

Moriturus
quæ agere
debeat.

Vulnera
Christi quo-
modo ani-
mæ impri-
menda tem-
pore mortis.
Luce, 11
Ioan 16
Monendum
quinam se-
cusc.

OMni igitur tempore, potissimè circa extrema vitæ, quando iam rationis faciendæ instat exactor, nec est vnde satisfacias, ad hæc misericordix & miserationum mearum arcam recurre, vt debita tua cuncta inde soluendo, secunda moriaris. Quapropter quando iam emigrandi accedit hora, vt ere hoc consilio: Sumptis deuote Sacramentis huic tempori congruis, quibus gratiam meam applicare hominibus statui, admoue passionis meæ id est crucifixi imaginem corporeis si ad manum fuerit) aut cordis oculis contemda. Hanc amplectere, deosculare, totumque interiorem hominem in mea rosea sanguinolentaque vulnera imprime, orans vt immensitate miserationum mearum ac sanguine te meo roseo à cunctis iniquitatibus lauem & mundem. Dic quia meam diuinam bonitatē sic decet, vt misericordia mea clarior copiosiorque in magna (vt tu es) peccatrice manifestetur, nihil sordidum, nihil non mea virtute expiatum relinquam. Freta itaque hac benignitate mea, freta mea promissione, quam nihil in meo nomine petatum pollicitus sum non exaudiri, plena fide, integritateque fiducia proice te in me, qui te non possum abiicere, desiderans vt tecum quemadmodum ipse voluero, faciam in tempore & æternitate, idque ad gloriam meam sempiternam Si hoc modo vulneribus meis immersa, totam te in cor meum proieceris, si totam resignaueris, si meæ innixa prouidentix & benignitati, totam te inquam, mihi commiseris atque reliqueris, qui fidelissimus atque perpetuus amator tui sum, secunda morere: neque enim habeo, qui me tibi negem. Secunda igitur ad me non aliter ac ad piissimum patrem egredere, non tamquam carceri mancipanda, aut longo post tempore castiganda, sed inter suauissimos meos amplexus fouenda, ac à me neuiquam separanda. Cæterum ne ad hanc gratiam (quæ vere singularis, est & paucis datur morituris) frustra aspire, cura nihilo minus, dum visis, à peccatis muncari, & diuinum meum beneplacitum pro virili in omnibus obedienter amplecti, vt in morte quoque hac gratia digna inueniaris. Et hæc filia dicta pro morituris sufficiant. Ad fructus alios quos dicere cœperam redeundum est.

*Cruce que quomodo ve sit cuique quotidie portanda vsus creaturarum
qui sumendus: sensualitati que moriendum.*

CANON VI.

Itaque

Itaq; inter varios fructus, qui ex passionis meae meditatione colliguntur, non infimus est, virtutes, actus, passionibusque meis contemplari, ut humili, pio ac feruente desiderio accendaris ad imitandum. Neque magis grata mihi esse potes, neque comparari sanctius, quam ut fortiter te abnegando, meque humiliter imitando, studeas mihi conformari opere ac veritate. Humiliare igitur sub potenti manu mea, & crucem vnde cumq; tibi adueniat, incunctanter amplectere. Neque tuum est percontrari aut discutere, vnde tibi crux eueniat, & neque hanc, neque illam, quam ferre malis, eligere: sed quamcumque super te senseris imponi, tanquam e manibus meis, & iussu meo tibi impositam & quam amiter ferre discas: quandoquidem nihil tua interesse debet, quid aut a quo, sed cuius amore tibi patiendum sit. Quapropter si nemo etiam tibi crucem imponat, pro meo tamen beneplacito, quid tui amore crucem portans, iubeo te me sequi ad eam tibi desiderata hanc esse debet, ut absque cruce te nunquam patiaris immunem. Vnde si nemo tibi crucem imponat, tu ipsa super te crucem sumas. Porro hanc crucem abnegatio debet esse tui ipsius, sensuumque tuorum mortificatio, quos freno stringas disciplinae, & nequaquam quo natura aut consuetudo inclinatur vitiosa, licentiam illis finas.

1. Pet. 7.

Lucæ 9.

Crux quotidie portanda quam sit

Principio igitur, ut mundo profusus alienam, mihi vero familiarem te facias, praefer nudum, simplicem, necessariumque usum rerum temporalium, amore ac cupiditate omni te studeas abdicare. Super his neque si accesserint, gaudens: neque si à te fugerint, dolens. Porro vsus creaturarum sobrius sit, tamque necessarius, quam quod carere nequeas. Alia verò aut omnino non habeas, aut quasi non habens habeas. Oculis, auribus, caeterisque omnibus sensibus ac membris tuis inuigila, & cohibe, ne licet nocuiis inutilibusve pateant, ne curiositatem, aut sui oblectationem quærant, ne denique ad inania, superflua, ociosaque se effundant: & postremo, ne contra molesta pro Dei amore aut proximi utilitate subeunda fugiant, aut se subducant. Obserua igitur ne quaecumque delectant audire, loqui, gustare, tangere aut quouis modo sentire, praesertim oblectandi gratia consentias: sed quaecumque ad necessitatem pertinent corporis vel animae, intentio casta ad meam gloriam dirigat, ut nusquam hareas, nusquam praeterquam in me Deo tuo quiescas. Hoc modo vim tibi inferendo crucifiges: ipsa membra tua, & sensuum morieris delectationibus, vitiis, concupiscentiis, inclinationibusque tuis prauis. Quamprimùm itaque inordinatam in te concupiscentiam affectionemve senseris titillante, puta ad videndum, loquendum, gustandum, aut aliquid commodi gloriaeue obtinendum, ilico te mecum crucifigendam, cogita, delectationem atque desiderij huius consolationem tibi negando. Hanc enim est crux tua, ut desiderijs sensuafitatis ac propriae quaesitionis reluctando, omnia in quibus mei honor aut animarum lucrum non quaeritur, tibi interdicas. Sic faciendo, & meam crucem portas, & meos dolores ac vulnera mihi permulces. Neque enim patienti mihi vberiores gratias agere neque doloribus meis aliter vicem potes rependere, quam ut pro mei amore abneges temetipsam, molesta ac contraria hilariter subeundo, & mollia oblectantiaque contemnendo.

Creaturarum vsus quomodo adsumendus.

Sensibus cunctis custodia quanta sit adhibenda.

Sensuum delectationibus quinam moriendum.

*Christus cruci adfixus quomodo sit contemplandus & imitandus:
mori seculo uti contingat: via crucis ut sit
sola via ad vitam.*

CANON VII.

Vuu 4

Aspice